Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1543

Quelle:
Copyright:

aegre se ad scribendum passus sit adduci. Episcopo scribi haec ultima demonstrant: *Vobis igitur, pater piissime relligionis assertor et decus ecclesie uobis hunc librum deuoui, transmisi* &c. Tractatio ipsa longo et erudito Prooemio munita partim literae infistit, partim in allegorias exspatiatur hoc initio: *Liber equiuoce dicitur. Nam liber appellatur pergamenum cum notulis, dictus a libro arboris cortice, in quo ante usum membrane scribebatur.* &c. Autorem edicere nequeo, cum nec *Bernardi*, nec *Stephani* ad manum sit Commentum; illud autem, quod *Leyserus* excitat, aut, quod Editionem *Theoduli Lipsiensem* anni 1492. 4. illustrat, non esse, conferendo didici.

III. *fol.* 67. absque inscriptione Praefatio quaedam in *Mart. Capellam de Nuptiis Philologiae et Mercurii* ita incipit: *Martianus iste asser genere, ciuis cartag. Romanus dignitate fuit. Destructa enim carthagine Scipio istum romam adduxit* — Apage fabulam de homine, qui Sec. V. vixit! Abrumpitur in descriptione *Saturni*, nescio cujus, Grammaticastri conatus.

IV. *fol.* 70. p. 2. *Gloss*e, ut e calce praeoccupo, *in Statium.* Ineunt: *Queritur quo tempore fuerit iste statius. sed constat ueraciter eum fuisse temporibus vespasiani imperatoris, et peruenisse usque ad imperium domitiani* &c. Paucis praemissis ad *Thebaidem* ita accedit: *Fraternas acies &c. quasi alternatim dispositа. quia petierant fratres, ut mutuis annis regnarent, et sibi inuicem succederent. Profanis. quia per eos violata sunt iura nature* &c. *Placidi Lactant.* haec potissimum sunt, cujus Scholia antiquis *Statii* editionibus junguntur. Addit tamen Noster aliqua, ita ad *Pierius*, ubi *Placidus* solum adnotat: *Musicus*, adjicit: *a musis inspiratus.* &c.

V. *fol.* 100. p. 2. videtur Librarius noster quaedam in *Ovidium* Scholia describere voluisse; incipit enim: *Sex inquiruntur in principio huius autoris. Uita poete, titulus operis, Materia, Intentio, finalis Causa uel utilitas, et cui parti philosophie subponatur* &c. Verum, neque Vitam integre pertexuit. Haec omnia manu Sec. XIII.

VI. *fol.* 103. p. 2. Officia quaedam Chori: *De Corpore Christi* cum Octava, *de Visitatione Marie, Ordo* de eadem *a purificatione vsque ad adventum* additis in fine Psalmis in ejus Officio dici solitis. Manu Sec XIV.

VII. *fol.* 180. manu Sec. XII. ἀνεπιγράφως *Acta S. Sebastiani*, quorum hic principium: *Sebastianus uir christianissimus mediolanensium partium ciuis diocliciano et maximiano imperatoribus ita carus erat* &c. Acta haec a multis S. *Ambrosio* tributa leguntur apud *Bollandianos* T. II. *Jan.* ad diem 20. p. 265. illorum vero γνησιότης discutitur p. 257. In Codice praeter folia quaedam dilapsa abrumpuntur cum C. 11. his verbis: